

Dissertatio inauguralis medica de nonnullorum venenorum virtute deleteria in genere et morborum malignorum dictorum causis / [Johann Conrad Herzberg].

Contributors

Herzberg, Johann Conrad.
Oberkamp, F. J. von.
Universität Heidelberg.

Publication/Creation

Heidelberg : J.J. Haener, 1750.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/at4panzt>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
NONNULLORUM VENENORUM
VIRTUTE DELETERIA
IN GENERE
ET MORBORUM MALIGNORUM DICTORUM
CAUSIS,

Quam
PRÆSIDE

Prænobili, Clarissimo & Expertissimo Viro ac Domino

D. FRANC. JOSEPHO de OBERKAMP,

Philos. & Medic. Doctore, Ejusdemque Profess. publico & ordinario,
Serenissimi ac Potentissimi Electoris Palatini Archiatro &c. &c.

h. t. Universitatis RECTORE MAGNIFICO

Pro

SUPREMA DOCTORATUS LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

EXANTLATIS DE MORE RIGOROSIS EXAMINIBUS

Publicæ Eruditorum disquisitioni exponit

AUTHOR ET RESPONDENS

JOHANNES CONRADUS HERZBERG,

Umstadiensis,

Loco & Horis consuetis

Die 28. Februarii MDCCCL.

HEIDELBERGÆ,

Typis Joannis Jacobi Hæner, Typogr. Aul. Academ.

DISSERTATIO
IN AGRICULTURAM

DE VIRTUTE
ET CAUSIS

CAUSIS
CAUSIS

CAUSIS

CAUSIS

CAUSIS

CAUSIS

CAUSIS

CAUSIS

CAUSIS

CAUSIS

CAUSIS

Mein Vatter !

Da man sonst zum Denckmahl
seiner Pflichten,
Den Hohen Gönnern pflegt die Zuschrifft zu ent-
richten ,
So nimm du solche jetzt von meinen Händen hin,
Nur darum, weil ich dir so vieles schuldig bin.
Wie! kan ich deiner Treu hier öffentlich vergessen,
Die mir von Jugend an nur Gutes zugemessen ?
O! nein: ich gebe ihr nun Fleiß und Dancß zum
Lohn,
Ich bleibe wie bisher ,

Mein Vatter !

stets dein Sohn.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. Visible words include "Es", "man", "sagt", "dass", "die", "Welt", "ist", "flach".

Einige Gedanken

und sein Ende



DISSERTATIO
 MEDICA INAUGURALIS
 DE
 NONNULLORUM VENENORUM
 VIRTUTE DELETERIA
 IN GENERE,
 ET MORBORUM MALIGNORUM DICTORUM
 CAUSIS.

§ I.

Quidquid corpori humano, quacunque via ingeritur, illive quo-cunque modo aut formâ, sic ut per venas ad interiora deferatur; applicatur; Id ingestum vel applicatum aut primò mutat corpus animale, aut secundò ab eo mutatur.

§. II.

Ea, quæ ingesta vel applicata mutationem à corpore subeunt aliquam (§. 1. n. 2.); Viribus vitæ subacta in nostram transeunt naturam, quæque impetuosa jugiter vis vitæ detri- vit & difflavit, restituunt, & vocantur *Alimenta*.

§. III.

Quæ (§. 2.) cùm solida vel fluida sint; dicuntur aut esculenta aut potulenta. Antequam verò factum per vim vitæ dispendium apta sint resarcire, variâ præviè præparatione, esculenta præprimis, indigent, pro ingerendi dotibus, etiam diversâ.

§. IV.

Hinc multiplex ille coctionum apparatus, hinc diffusa illa condimentorum copia; quibus efficitur, ut materia ingerenda his præparata modis suâ subeat mutationem & feliciter & certius.

§. V.

Præparata sic si ingeruntur, mutantur in ore per morsum, manducationem, salivæ, liquoris in os affluentis muci & aëris permissionem. *Vide Hermann. Bærh. institutiones Med. §. 58.*

§. VI.

Mutantur & in ventriculo, cùm per liquidum gastricum arteriosum, nerveum, ampullosum, tum etiam per calorem proprium ventriculo & adventitium: Tum denique per actionem muscularem & ventriculi & muscutorum abdominalium, ictus innumeros arteriarum, ventriculo, vel partibus eum ambientibus dicatarum. *Vid. easdem institut. §. 76. usque ad 89.*

§. VII.

Mutantur ulterius in intestinis, per affluxum liquoris enterici, pancreatici, biliosi, per motum peristalticum, actionem

nem tunicæ muscularis ope fibrarum longitudinalium & orbicularium, atque etiam per pressionem partium accumbentium. *Vid. easdem à Spho 90. usque ad 101.*

§. VIII.

Mutantur in vasis lacteis & dispersis vagè per mesenterium glandulis : per factam scilicet à variis glandularum intortibus & directionibus omni momento variatis remoram, per dilutionem, & spirituum fortè ex nervis admissionem. *Vid. easdem à Spho 103. usque 107. item à Spho 113. usque ad 123;*

§. IX.

Mutatur denique materia è glandulis Meseraicis in ductum thoracicum delata, & per venam subclaviam sinistram sanguini lentè & paucâ copiâ infusa, cùmque hoc per systema arteriosum dein rapta innumeras patitur permutationes, dum apta reddatur, ut in nostram transeat naturam. *Vid. easdem §. 124. usque ad finem cap. agentis de circulatione sanguinis.*

§. X.

Ea verò, quæ corpori animali ingesta vel applicata illud mutant (§. 1. n. 1.) hoc sic mutant, ut facta mutatio corpori vel in salutem cedat, vel in perniciem.

§. XI.

Quæ ad priorem spectant classem (§. 10.) ; Vocantur *medicamenta* ; Quæ verò ad censum posteriorum (*loc. cit.*) referenda sunt, veniunt sub infami nomine *veneni*.

§. XII.

§. XII.

Medicamenta itaque rectè definiuntur esse corpora, quæ corpus vivens itâ mutant, ut suctas functiones iterum valeat ritè exercere. En, quomodo ab alimentis differant Medicamenta: Quid verò inter Medicamentum & venenum intercedat discriminis facilè colliges ex infrâ dicendis *ad §. 14.*

§. XIII.

Medicamenta si à viribus vitæ corporisque superantur, subiguntur, adeoque illa hoc non mutant, sed mutantur ipsa; Non erunt amplius Medicamenta, sed alimenta. Dantur tamen & Medicamenta alimentosa, quæ præter vim medendi possideant etiam particulas nutritivas, & in nostram naturam facilè abituras. Sic inflammatione faucium laborantibus, ut deglutire nihil possint, injicimus Clysteres, qui simul ægros hos nutriunt, simul etiam liquida æquè, ac firma animalis corporis à putredine præservent.

§. XIV.

Sed missa hæc facio, & propiùs accedo ad scopum præfixum: Ea videlicet, quæ corpori ingesta aut applicata, sic ut per venas recepta ad interiora deferantur & humores, viribus vitæ immutabilia sunt, ipsaque corpus sic mutant, ut graviter lædatur, aut planè, tardiùs citiùsve, destruat. En quomodo à medicamentis differant venena! *Vide Richard Mead. expositionem Mechan. venenor. in introductione ad sua tentamina.*

§. XV.

Animale, vegetabile, minerale regnum conjuratam intentant omnia mortem: Omnia hæc siquidem venenorum esse feracissima fatali edocemur experientia?

§. XVI.

Si quâcunque sumptum dosi, in subiecto quocunque vitam auferat; rectè dicitur venenum absolutum: Ubi verò non nisi in majori haustum quantitate, aut in certis tantum modo subiectis funestam ejusmodi edit stragem; Venenum dicitur respectivè tale: cum non nisi, quòd nulla doses & subiecti ratio habita sit, funestos sortitum sit effectus.

§. XVII.

Fieri hinc etiam haud rarò poterit, ut medicamina generosa aut præter modum propinata, aut subiectis minùs idoneis præposterè applicata exutâ medelæ indole venenum induant.

§. XVIII.

Si quis jam perpenderit, venena res esse vitæ animali adeò inimicas, ut hanc gravissimè, tardiùs aut citiùs (§. 14.) valeant destruere, iterùmque cogitaverit, vitam in motûs exercitio potissimùm consistere; deprehendet facilè, motûs turbationem principaliter induci à venenis.

§. XIX.

Hujus verò exercitium cùm à solidis fluidisque ritè constitutis, & in se mutuò agentibus dependeat; hoc autem à venenis turbetur mirabiliter; Patet venenum debere *primò* vel in solida, vel *secundò* in fluida, vel *tertiò* in utraque simul vim suam exercere.

§. XX.

Illa quidem, quæ agunt in solida (§. 19. n. 1.) agunt ea destruendo: Quod iterum pro veneni ipsius partibus constitutivis, viribus & qualitatibus diversis diversimodè poterit contingere.

§. XXI.

Acrida quæ sunt, adeoque principio salino abundant; Ea, sive externè applicata, sive internè hausta fuerint, spicula sua solidorum interstitiis applicabunt, quæ spicula acrimoniâ suâ fibras solidas corporis nostri stimulant, earumque motum contractorium vitalem augment, hâcque ratione spasmos, tormina & reliqua inducendo solida lædunt.

§. XXII.

Alia iterum sunt ex hac classe, sed prioribus (§. 21.) fortiora. Hæc pariter actionem suam auspicantur fibras vellicando, irritando & spasmodicè contrahendo. Ubi verò diutius egerint; effectum habebunt potentiolem, solidaque coarctabunt. En rationem, ex hac solidorum coarctatione derivandam, quare venenum haustum vel vomitu rejiciatur,

vel

vel, si exinde moriatur animal, in ejus cadavere non nisi
ventriculus & intestina reperiantur destructa.

§. XXIII.

Fibræ nimirum ventriculi, inimico ingesto vellicatæ
sic se contrahent, sicque se coarctabunt, ut inverso hac
ratione motu peristaltico sursum evomant noxium pere-
grinum.

§. XXIV.

Aut etiam, si venenum hoc ventriculi orificium inferius
præterlapsum, ac in intestina delatum fuerit; Interiora labis
exinde accipient nihil: Fideli enim custodiâ sollicita hîc loci
cavit natura, ut ad acris inimici sensum contrahantur illîco
venerrima vasculorum lacteorum & venarum Meseraicarum
oscula, per quas vias solummodo ad interiora aditus datur.
Ad eoque interiores corporis partes ab ingesti veneni efficaciâ
manent immunes, destructis tantummodò ventriculo & in-
testinis.

§. XXV.

Venenum proinde sic solida afficiens elementa solido-
rum elementis faciet accedere, multiplicato sic punctorum,
quibus se contingunt, numero diameter vasorum in omni di-
mensione minuetur; Quâ ratione funestissima mala non pos-
sunt non induci, unôque impetu sanguinis per vasa motus
suffocari.

§. XXVI.

Alia demum ex ipso hoc genere sunt, prægressis (§. 21. & 22.) longè potentiora. Hæc quippe, cùm salia sua concentrata magis habeant, effectum etiam habebunt magis, quàm priora, deleterium: Solida quippe stimulando primùm, ut ea, quæ §. 21. exasperata deinde, præcipuè, si diutius fuerint applicata, partes firmas coarctant, ut descriptum §. 22. Demum eas corrodendo destruunt, sic tamen, ut à primo acrium gradu ad summum usque successivè exacerbentur: Sicque corrodendo dum destruunt, & fortè solida contingunt fluidum vehentia, factâ unitatis solutione effusionem, stagnationem & plurima ejusmodi symptomata inducent.

§. XXVII.

Qui ea, quæ à §. 21. ad hunc usque diximus, pensitaverit, iterumque, qui principia chemica, quibus Arsenicum, Mercurius sublimatus & præcipitatus constant, examinarit, indeque, qui experimenta, quæ in chemiâ cum his institui passim solent, noverit; ille faciliè intelliget, ad quam quodque speciem sit referendum, quibus quodque principiis & modis funestum suum effectum edere soleat.

§. XXVIII.

Dictorum venenorum agendi modo affinis admodum est modus agendi fulminis, quod ob summè noxium & deleterium suum, quem habet, effectum venenis est adscribendum. Duplici autem potissimùm modo animal necat fulmen. Primò enim considerandum venit, fulmen copiosissimas particulas

fulphureas, easque rapidissimo in motu constitutas secum vehere: Harum particularum praesentiam demonstrat conjunctus fulguri odor. Scimus jam ex operationibus chemicis & laboribus minerarum ac fodinarum, quod spiritus quidam acidus accenso sulphure diffusus aërem inquinat, qui à nullo animali sine nocumento hauriri potest, siquidem corporis nostri, pulmonum praecipue fibras maxime sensiles valide ac citò constringit. Quam constrictionem cum concomitatus semper hic loci terror adjuvet: respirationis impedimentum & suffocatio subitanea non poterit non subsequi. En rationem! quare cadavera fulmine tactorum in exteriori superficie labis exhibeant nihil. Alter modus agendi in fulmine, at priori longè oppositus est, dum fulminis calor atmosphæram aëris expandit, rarefacit, qui cum in solida nostra premere hac ratione minus possit; Fluida firmis contenta, & coerceri impatientia, solidorum minus pressorum, minus ergo prementium debilem vim superabunt, se nimium expandent. Deducimus inde rupturas, extravasationes & reliqua.

§. XXIX.

Postquam lustravimus, quid mutationis fiat in solidis ab ingesto veneno; ad illa jam delabimur toxica, quæ in fluidas corporis humani partes (§. 19.) vim suam exerunt. Quidque mutationis in liquidis hisce appareat, paucis exponimus.

§. XXX.

Quas mutationes & phaenomena in fluidis ingesto veneno contingant ut intelligamus felicius; juvat prae-

viè notâsse, humorum nostrorum, siquidem naturali in statu & crasi constituti fuerint, particulas sic amare suū confortium, ut altera alteram avidè arripiat & amplectatur: Hinc globulosa illa in liquoribus omnibus figura. Corporis tamen animalis humores neque adeò faciles in mutuam cohaesionem esse debent, ut ne augeatur globulis adunatis superficies, sicque vasculorum minimorum aperturam excedat, adeoque inde excludatur: Quo facto debitæ humorum subtiliorum secretiones turbarentur. Neque tamen etiam oportet eas infido adeò nexu inter se jungi, ut cohaesio aut nulla sit, aut justò levior.

§. XXXI.

Jam liquida corporis animalis per venenum alterari dupliciter possunt: Vel enim cohaesio illa applicato veneno æquo fiet debilior; & liquida *primò* resolventur; vel cohaesio illa particularum erit densior, fortior; & liquida *secundò* coagulabuntur & inspissabuntur.

§. XXXII.

Resolvere autem (§. 31. n. 1.) hìc loci idem est, ac fluidas animalis partes à justâ & debitâ cohaesione disjungere, intimùmque partium nexum dissolvere: Non tum amplius particulæ humorum constitutivæ alteræ alteras avidè attrahent, uti descriptum §. 31. Sed sese mutuò repellendo fugient, aut infinitâ divisibilitate globulorum particulæ à se invicem separatæ, dissilient. Faciunt hoc è venenis non pauca, dum cum humoribus nostris communis circulationis lege fluentia eos in saniam & putridum liqua-
men

nen faciunt diffuere. En rationem expansionis & rarefactionis totius massæ sanguineæ! En, inquam, rationem excretionum omnium præter modum auctarum!

§. XXXIII.

Alia venena, quæ vires suas exercent in liquida, agunt proposito planè modo, dum fluida ita inter se adunant conueniant, compingunt, ut illorum cohæsiō fortior sit ac maior, quàm ad illibatam sanitatem requiritur.

§. XXXIV.

Hæc iterum cohæsiō (§. 33.) poterit esse ratione venenæ agentis vel fortior vel non adeo fortis; si ultimum contigerit, venenum dicetur *incrassans*, effectus *incrassatio*: Ubi vero primum; venenum dicetur *coagulans*, effectus *coagulatio*, receptis in arte vocabulis.

§. XXXV.

Intellecto autem modo agendi unius, facilè concipies etiam modum agendi alterius: In hoc etenim conveniunt, nec nigra gradu differunt. Notandum hic iterum ea, quæ coagulant, ab initio etiam esse non nisi *incrassans*: Pari fermè ratione, de superius de acribus differuimus.

§. XXXVI.

In priori quidem casu massæ sanguineæ admiscebuntur articulæ heterogeneæ, viscidæ, tenaces, quæ in fluidorum porosorum interstitia se interponendo firmiter facient cohærere fluido-

fluidorum elementa. Atque hac ratione potissimum videntur nocere fungi. Aut etiam liquidis nostris ejus generis admiscuntur particulæ, quæ liquida subtiliora in se quodammodo imbibendo sanguinem reliquum inspissent, aut, diutius si egerint, coagulent. Tâlium particularum ideam præstare nobis gypsum, calx viva, terræ argillacæ fortissimo igne exustæ.

§. XXXVII.

Sunt & alia heterogenea, quæ liquidis nostris admista, hæc quodam modo per præcipationem coagulent: Fluida enim nostra, ut videntur esse homogenea, heterogenea sunt, ex diversis, diversæ molis, gravitatis, levitatis, densitatis, raritatis humoribus composita: Jam hæ particulæ heterogenæ in vasis majoribus unâ fluunt commistæ: Fieri jam facile poterit, ut recepti veneni efficaciam ea, quæ graviora, subsidant fundumque petant. Quæ sanè pecculosissima foret coagulationis species.

§. XXXVIII.

Si venena incrassantia, coagulantia, sic agant in humores nostros, ut ex his dependatur & decedat aliquid, subtilissima avolabunt, remanente solum modò crassiori.

§. XXXIX.

Nimirum si globulos rubros sanguineos microscopio lustremus; deprehendemus hos in sero & lymphæ utpote vehiculo tenuiori quasi innatare: Jam si à quacunque causâ suo hoc vehiculo orbetur rubra humorum nostrorum pars; Tum incrassabitur liquidum, sic ut ex eo aliquid deperdatur.

§. XL.

§. XL.

Manifestum effectûs hujus habemus Exemplum in calore & motu auctiori. Sic (a) si in variolis primo die mittitur sanguis; conspicitur ille satîs bonus. Si tertio vel quarto die educatur sanguis, jam inflammatoriam crustam habet, quia per febrem acutam dissipatis liquidissimis, plûs compactis crassioribus partibus, incipit nasci major cohæsiô, inter moleculas sanguinis.

§. XLI.

Restat jam, ut lustremus & eas venenorum classes, quæ & in liquida & in solida simul agunt. Verum quidem est, eam esse solida inter & fluida nostra cognationem, ut una alterari notabiliter non possint, quin & aliis labes communicetur. Sic si venena acria corroserint partes firmas, attigerintque vasa fluidum vehentia; hoc extravasabitur, stagnabit, putrescet, & reliqua. Sic si liquida incrassantur, coagulantur à veneno quodam; solida etiam diu sana esse non poterunt: Sed vascula minima liquido orbata, collabentur, se in parietibus contingent, concrecent. Hac tamen ratione cùm effectus productus in solido sit causa sequentis effectûs in liquido, & vice versâ, adeoque alterutrum mali ad alterum se habeat consecutivè; id intelligi hîc loci, ubi venena dicimus agere in utraque, & in solida & liquida, non volumus: Sed, quòd venena ejusmodi in liquida & fluida agunt simul, sic, ut effectus in uno non dependeat ab alio.

(a) Vide Gerard. van Svieten *Commentar. in aphorism. de cognosc. & curand. morbis.* §. 117.

§. XLII.

Ea itaque venena in utraque simul possunt agere, quæ numeratorum hæctenus effectuum quosdam simul poterunt producere. Sic habemus venena, quæ Massam Sanguineam incrassant, coagulant, vel etiam resolvunt; solida verò interea insimul destruunt.

§. XLIII.

Docemur id manifestò exemplo in frigore, quod ipsum etiam venenorum è censu exulare non debet: Tum verò præprimis venenum est, dum exanthemata ad peripheriam cutis sunt determinanda, frigus verò interim improvisò admittitur, unde materiæ morbificæ ad interiora retropulsio. Frigus enim fibras solidas accurtat, indurat, rigefacit, vasa ex his composita, in exteriori præcipuè corporis habitu, ubi immediatus datur contactus, arctat, & determinando ad interiora sanguinem, eum à peripheriâ corporis prohibet: En rationem, quare positum in frigore animal pallescat, rigeat, tremat, figatur. En, quænam in solidis producat frigus: Jam verò videamus etiam, quid interea temporis, quo hæc fiunt in solidis, phænomeni appareat in liquidis. Nimirum particulæ fluidum constituentes paucioribus nunc, quia per constricta vascula circulare non possunt, continebuntur vasis, eaque propter adunabuntur, condensabuntur, compingentur, & multiplicatis punctis contactûs mutui inter se concrefcent.

§. XLIV.

Huc etiam referri meritò debent Narcotica. Narcotica verò vocantur ea, quæ animali somnum stuporemque

que conciliant. Si jam consideremus, stuporem nasci è vitio fluidorum & solidorum simul, defectu nimirum, vel etiam impedito motu liquidi cerebrosi, & secundò immi- nutâ contractilitate villorum nerveorum: Necessum igitur est, narcotica & opiata, ut stuporem inferant, & liquida & solida debere alterare.

§. XLV.

Narcotica enim, uti ab effectu constat, inenarrabili quâdam, nec hætenus satis cognitâ, virtute hinc ner- vos per ventriculum dispersos alterant mirabiliter, & disponunt, ut aut obtusè, aut nihil sentiant: Inde verò Spiritus nerveos; quos ligant, figunt, eâque ratione, cum ad solidorum contractionem indispensabiliter requiratur ho- rum sufficienti copiâ influentium, debita mobilitas; stupo- rem animali corpori inducunt.

§. XLVI.

Cum verò horum Princeps, & medentes inter famo- sum maximè sit opium: Specialiùs illud hîc disquirendum ducimus. In quâ disquisitione cum viderimus, eas ad con- stituendum opium concurrere particulas, quarum aliæ in solida, in fluida aliæ agant; Rectè concludendum veniet, opium ad eam venenorum, quæ & in liquida, & in solida vires suas exerunt, classeni esse referendum.

§. XLVII.

Hæ quidem aquæ, salinæ, sulphuræ, terreae esse de- prehendantur. Opium enim si quocunque arenæ igne

vexamus; Ex eo educitur primò aqua, sive phlegma inspidum, saporem habens nullum aut aquæ similem, eandemque omnino habens gravitatem specificam, ac aqua simplex, pura. Educitur secundò liquor quidam salinus, salibus dives, qui liquor cum odorem saporemque urinosum habeat, cum aceto destillato, spiritu vitrioli, cum illo quidem levius, cum hoc verò fortius effervescat; sales hos, quibus imprægnatus est, alcalinos volatiles esse evincimus. Educitur tertio oleum quoddam maximè empyreumaticum, quod sulphureum jure statuitur, si illud inflammabile, iterumque, quidquid principio phlogisto gaudet, sulphur apud Chemicos audire cogitabimus. Obtinebuntur demum in fundo retortæ relictæ carbonēs leviores, sive caput mortuum.

§. XLVIII.

Aquæ quidem particulæ perparum ex illâ, quæ opio debetur, efficacia sibi vendicant: Particulæ verò Salinæ, cum sint acalinæ volatiles, adeoque corpora subtilissima, penetrantissima, solvent fluida nostra, solida irritabunt, sic propulsionem liquidi vitalis celeriore, calorem, motum majorem, hinc paulò post distillationem liquidiorum, remanentium inspissationem. Sulphuræ iterum partes, quæ apprehenduntur inesse opio, crassæ admodum sunt, & maximè rarefiscibiles, quod patet in distillationibus opii insigni odore respersis: à quo sulphure condensato summæque raritatis capaci mirabilis illa opii virtus potissimum videtur dependere. Videatur Geoffroi Mat. Med. Tom. 2dus. Terreæ partes demum, etsi passim iners quid & segne sint, noxâ hîc suâ haud carebunt. Hæ enim salia, facile, ut

diximus, adhæsiva, adeoque ex hac adhæsione in partes terreas se insinuantia, absorbent. Unde iterum vis humores resolvens debilitatur, massa sanguinea viscidior redditur, liquidum nerveum & minutum & minus agile redditur. Ubi verò solidas corporis humani partes contigerint; fluidum auferent, illas exsiccabunt, rigidiores, & fluidorum actioni magis, ac antea, resistentes facient.

§. XLIX.

Ex eo, quòd priori paragrapho ostendimus, humores animalis corporis à particularum opium constituentium aliis inspissari, adeoque fluidi nervei ad sensum motumque requisiti copiam imminui: Indèque iterum, quòd ab aliis viscositas humoribus inducatur, hincque, si quæ in iis fortassis acria hæserint, temperentur atque etiam obducantur; involvantur; Ex eo, inquam, potissimum opii, si prudenter, debitâ cum cautelâ, exiguâ dosi applicetur, virtutem medicamentosam licet deducere.

§. L.

Si quis verò opii elementa, horumque actionem nunc seorsim singula, nunc adunata & conjuncta pensitaverit; is intelliget, illa, etsi diversum primitus quæcunque habeant effectum, in unum tamen omnia ultimò, torporem nimirum, somnum, stuporem conspirare.

§. LI.

Evidenter demum effectus venenorum in utraque, & solida & fluida agentium conspicimus per venena, morfu.

animalium venenatorum aut puncturâ communicata, vivô-que corpori applicata: Applicata, dixi, corporis, si enim deglutiantur succi venenati ex ejusmodi animalibus; innocui sunt: Efferatissimæ etiam viperæ succus unâ cum salivâ haustus damni fecit nihil. Vivo dein corpori applicentur, oportet, hæc enim, uti & venena reliqua, in se inertia sunt, nisi viventis corporis calore & motu actuosa reddantur, & in actum deducantur.

§. LII.

Animalia autem venenata ex communi loquendi more appellantur ea, quæ, sive mordeant, sive pungant, animalia in vulnus dente aut proboscide factum instillant salivam succumque venenatum, miras animali corpori mutationes inducturum: Præcipua autem sunt vipera, aranea, torpedo, scorpius, canis rabidus, & reliqua.

§. LIII.

Illa concipiuntur sic agere: Animal, seu pungens, seu mordens, facit solutionem continui: Sic via fit infundendo liquori venenoso, quo infuso, admistisque hæc ratione particulis igneis, causticis nervorum integumenta inflammari necessum est: Hinc in parte vulneratâ dolor acutus cum tumore, rubore, mox livore, pulsu celeri, parvo, interdum intermittente: Ipsum verò liquidum nerveum communi-
cata

catâ hæc labe inficitur, suâ in crasi, alteratur: En rationem, quare calamitas illa nunquam circumscribatur partibus affectæ finibus, sed latius serpat, & per totum sæpe corpus, etiam momentaneò dividatur. En, quare, parva quædam fluidi nervei imbuta pars mox inficiat reliquas, totâque œconomia animalis turbetur.

§. LIV.

Effectus verò cum pro animalis lædentis, tum pro partium, quæ participant malum, diversitate iterum sunt diversi. Generaliter quidem loquendo spasmos & convulsiones videmus produci, per hos verò iterum in stomacho & intestinis cardialgias, vomitus, tormina: In cerebro deliria, sopores, insultus epilepticos: In corde palpitationes, deliquia; in pulmonibus spirandi difficultatem, constrictiones & suffocationes: & sic porro loquendo de cæteris animalis corporis partibus. Diversissima iterum sunt pro animalis lædentis diversitate symptomata: Quàm mirificam ludent scenam læsi à tarantulâ? Tragica sunt, quæ videmus in homine per canem rabidum vulnerato: Alia iterum sunt, quæ ictus torpedinis post se trahit: In hoc tamen capite summo videntur convenire, quòd & solida & fluida simul lædant.

§. LV.

Ardua jam, & difficillima sanè restat quæstio, quamnam miasmata, maligna, contagiosa, variolosa, fumi carbonum inclusorum, vaporum, effluviolorum particula actionem habeant: Subtilissimum, quod afflant, est venenum: adeò,

ut nonnisi in effectibus illud cognoscamus. Neque, nisi intimiorem & partium nostrarum, & ipsius hujusmodi subtilissimi veneni structuram, meliùs & intimiùs, quàm hactenus, pervidere licuerit, actionem hanc certiùs poterimus intelligere.

§. LVI.

Nihilo tamen minùs videntur hæc miasmata, vapores, effluvia fundamentum præbere morborum plurimorum cum singularium tum epidemicorum. Cùm verò per aërem hæc nobis potissimùm; communicentur potissimùm, dixi, nam etiam per cibum, potum, tegumenta, & cætera ea possumus participare, juvat considerare, quænam in aëre lateant effluvia.

§. LVII.

Illæ quidem, vel acida, vel alcalica sunt, vel ignotâ aliâ qualitate nociva animali. Acidi quidem nomine hîc intelligimus id, quod linguæ applicatum saporem excitat eum, quem communi consensu acidum omnes vocant: Neque enim verbis describi hîc potest: Noscitur autem potissimùm ex phænomenis, quæ habet cum aliis corporibus compositum. Sic acidum cum terrestribus, testaceis pulveribus, exustis animalium ossibus, cretâ, salibusque alcalicis compositum effervescit. Colorem Syrupi violarum pulchrè cæruleum in rubrum mutat: Per alcali verò denotatur id, quod saporem, odoremque urinosum habet, in aëre deliquescit, Syrupum violarum in viridem mutat, & cùm acidis compositum effervescit. En principales acidi & alcali notas!

§. LIX.

§. LVIII.

Acidis primùm effluviis fœtus & inquinatus est aër. Si enim caput mortuum vitrioli ponimus in aëre, brevè iterum accipiemus vitriolum; Manifesto documento, quòd acidum hæreat in aëre, quod posita hïc vitrioli calx attraxit & imbibit.

§. LIX.

Acida autem ejusmodi effluvia haurit & in se derivat aër ex regno minerali, vegetabili, sed rarissimè, si unquam, ex regno animali. Quòd regnum minerale abundet acido, docet Sulphuris, vitrioli, aluminis & reliquorum generatio, quæ omnia acidum quendam Spiritum, quo ablato non amplius manent talia, suppeditant. Ex regno minerali acidum hoc in regnum vegetabile per succum vegetantem ex glebâ pingui plantis communicatum, quem ipsum, & glebam acida esse per experimenta evincitur, derivatur.

§. LX.

Ex hoc demum in regnum animale transit acidum, quippe ex quo animalia maximam partem nutrimenta capiunt. Noli tamen credere, si quo in animali reperiatur fortè acidi quidquam, illud animali esse connaturale: Totum quantum enim peregrinum illi est aut præternaturale.

§. LXI.

Etenim si cogitamus, solâ corporum agitatione, attritione acidum in alcali posse commutari, iterùmque, quot ictus,
 D trituras,

trituras, quibus assumpta alimenta teruntur, verberantur, compinguntur, dividuntur, lævigantur, sub morsu, manducatione, deglutitione, in ventriculo, intestinis, cæterisque partibus œconomix animalis, sustineant; intelligemus solos hosce resolutionis & divisibilitatis modos sufficere assumptis ex regno vegetabili petitis, sive aciescentia, sive actu acida illa fuerint, in alcalescens corpus commutandis.

§. LXII.

At alter adhuc modus est, quo facilitatur & adjuvatur hoc metamorphoseos negotium. Suprà quippe, ubi de alimentorum mutationibus fuimus locuti, monuimus, affluere in ore salivam, mucum tenuem, in ventriculo liquorem gastricum, arteriosum, in intestinis liquidum glandulosum, ampullosum, entericum, Pancreaticum, biliosum, eosque maximâ omnes copiâ, ut assumptum quantitate insigniter superent: Si jam ex Physiologicis certum est, omnes hosce humores, si quidem naturali in statu fuerint, non acida, non aciescentis, sed alcalescents naturæ esse. Tum assumpta acida aut aciescentia suam faciliùs naturam exuent. En rationem, quare si animalis, solis etiam acidis actualibus pasti partes examine-
mus, hæc ne granum acidi exhibeant!

§. LXIII.

Fieri tamen etiam solet, ut, cum animal debilius fuerit, adeoque minor compagis viscerum in assumpta efficacia, hæc eam, quam sibi relicta habent, sequantur indolem. Sed peregrinum tum est animali hoc acidum, & vel furtivè ad hu-
mores

mores reliquos delatum hos successivè inficit, vel indomabile ex corpore animali excernitur.

§. LXIV.

Cùm parem ferè quoad tubulos minimosque utriculos in vegetabilibus structuram liceat deprehendere; Tum & hæc succum acidum è glebâ pinqui (§. 49) acceptum, accedente præprimis calore solari, sæpe mutant mirabiliter. En rationem, quare in nonnullis vegetabilibus aut nulla aut pauca supersint succi hujus acidi vestigia, alia verò eum mutant in gratè acidulum!

§. LXV.

Sic jam ex triplici hoc regno, ex altero quidem plus, ex altero minùs, effluvia acida transeunt in aërem. Si jam ex corpore quodam prodeant copiosius, aëremque coinquent, quem positum ibi loci animal haurire cogitur; quam videmus malorum Iliadem! Sciendum prævièque notandum est, tenerimas, maximè sensiles, & mirificâ irritabilitate dotatas esse pulmonum fibras: Si hîsce jam cum aëre pulmonibus hausto applicetur acidum, præprimis si aut concentratius fuerit, aut diutiùs affligerit, pulmonum partes fibrosas stimulat, contrahet: Imminuetur inde aëri ingressuro spatium, vasa pulmonum minima comprimuntur, sanguini permeaturo resistentia ponetur pene insuperabilis. Deducimus inde spirandi difficultatem, præcordiorum anxietates, peripnevmoniam, ipsamque mortem.

§. LXVI.

Ut ut mitius fuerit hoc malum, membranas tamen vesiculáque pulmonum inde exsiccati necesse est, tunicas liquidum rorem, concretionis impediens, fundentes constringi, unde iterum pulmonum tabescentia, asthma siccum. Ejus generis calamitas affligit certos præprimis opifices, ubi consulendus Cl. Ramazini tractatus de morbis artificum. Inde, qui aut in mineris, aut fodinis salem acidum recondentibus sunt frequentiores, qui vegetabilia acida, fermentantia, metalla, carbonem incensum, præcipuè inclusos tractant, ut aurifabri, fossores, cerevisiarii, & reliqui sensim magis decolores summam successivè viscerum labem experiuntur.

§. LXVII.

Sed alcalinis si inquinamentis scatet aër; Tetra iterum mortalibus incumbet cohors: Hæc autem transeunt in aërem, si corpora vel incinerantur, vel motu putrefactionis in minima resolvuntur, volatilia, in auras facillè abitura.

§. LXVIII.

Ad hunc putrefactionis motum prona præ cæteris sunt animalia. Animalia enim quæcunque, insecta, pisces, amphibia, gradientia, natantia, repentia, homines denique ex propriâ suâ naturâ in putredinem spontè vergunt semper, accedunt nunquam. *Vide Gerar. Van. Svieten comment. §. 83.* Si enim animalis partem quamcunque ponimus in loco humido, calido, mutationis hujus spontaneæ effectum videbimus.

§ LXIX.

Atque etiam suprâ jam, ubi de alimentorum mutationibus egimus, monuimus, quantam habeat efficaciam animale corpus, quâ assumptâ acescentis, aut etiam actu acidæ naturæ convertat in alcalæscents naturæ humores, iisque eum imprimat characterem, ut sibi deinde relicta tendant in corruptionem putredinosam, non ampliùs, ut antea, motum fermentativum.

§. LXX.

Atque iterum! hæc animalis in putredinem proclivitas multis potest modis augeri. Ac primò quidem ratio victùs huc multum confert: Insectorum, avium, piscium, rapacium, solis viventium animalibus partes, putà piscium, falconum, corvorum, ad putredinem vergunt citiùs, quàm! quidem partes animalium graminivororum: Lac nutricis, alcalinis pastæ putrescet faciliùs, quàm lac nutricis vegetabilibus nutritæ.

§. LXXI.

Multum quoque auget partium nostrarum in putredinem dispositionem boni sanguinis abundantia: Si enim plethoricus solito vehementiùs nonnihil exerceat corpus, mox fundet sudorem solidum, urinam acrem, ferè subputridam, si morbi putridi epidemicè regnaverint, faciliùs his sæpiùsque Plethorici affligentur, quàm quidem constitutionis oppositæ homines: Manifesto documento, boni sanguinis abundantiam ad promovendam & maturandam animalis putredinem multum facere.

§. LXXII.

Auget & hanc putrescibilitatem animalium tertio stagnatio humorum, vel nimia eorundem agitatio. Mirabile videbitur fortassè nonnulli, binas causas, sibi penitus oppositas eundem producere effectum. Sed patet evidenter consideranti, primùm cadaver, in quo nihil movetur amplius, stagnant omnia, brevè putrescere: Secundo, si homo motum animale[m] exercuerit vehementiùs, febrem ardentissimam putridámque solâ nimiâ humorum agitatione posse excitari: Quod plurimis observatorum historiis & autoritatibus posset confirmari ulterius.

§. LXXIII.

Suum denique Symbolum huc affert calor. Hic si animali corpori diu multúmque concilietur; brevissimè abibit in putredinem. Videmus hinc æstivo tempore tam frequentes esse morbos putridos, ardentis. Hinc si collecta prægressâ hyeme pinguedo vernis caloribus subitò fundatur, tanta mala. Econtra iterum videmus, hyemali tempore partes animalium diutissimè à putredine servari.

§. LXXIV.

Si jam consideramus, animalia ferè quæcunque naturâ suâ sponte in corruptionem putredinosam vergere, (§. 68. ad hunc usque) atque iterum cogitare velimus, animal quodcunque habere atmosphæram emissis alcaliscentis naturæ effluviis foetam; si demum pensitemus, animalia putrescentia aëri exposita pœnè tota in auras diffusi, uti vastissimum balæne ad littus ejectæ corpus brevè per putredinem mirum quantum defecisse

fecisse scimus; Tum patet aërem sæpe ejusmodi inquinamentis infici debere, unde & huic ipsi putridi propemodum proprietas inducatur, oportet.

§. LXXV.

Ipsa autem hæc aëri inducenda putridi proprietas adjuvatur mirificè per cæteras aëris qualitates: Primùm quidem considerandus hìc venit aëris calor: Suprà jam §. 73. notavimus, calorem ad maturandam in animali putredine multum facere: Id quod hìc etiam loci intelligendum est: Ponamus itaque aëris conditionem esse eam, quæ descripta §. 74. si ad eam jam conditionem accesserit adhuc tempestas calida; noxius magis evadet: Funestat hinc toties pestis regiones calidissimas, dum interim frigida ab hac labe manent eximix. Hinc æstivis potissimùm mensibus exacerbantur & ingravescunt morbi putridi, crescente verò frigore iterum sensim mitescunt.

§. LXXVI.

Altera proprietas putredinosam aëris iniquationem promovens est ejus humiditas: Hæc enim ad putredinem requiritur. Hinc sic calor (75.) nimius, adeò ut exsiccet omnia, minùs facilè putrescent. Hinc carnes animalium siccatae per multos annos à putredine possunt præservari: Videmus è contrario iterum, partes animalium aëri calido & humido expositas in putridum liquamen abire.

§. LXXVII.

Tertia demum est ejus quies: Vitiantur enim, nī moveantur

antur aquæ; Sic & aër: Posita quippe in quieto hoc nullisque agitato ventis aëre corpora, putrescent, infecta varia generabuntur. Repleri sic aër inquinamenti putridi poterit facilius, eaque in illo colligi & coacervari.

§. LXXVIII.

Jam aër habens conditionem à §. 74. ad hunc usque descriptam variis nobis viis poterit communicari. Considerandum enim primò est, corpus humanum juxta Hippocratem totum esse in- & perspirabile: Poterunt ergo hæc ex aëre inquinamenta per vasorum bibulorum in omni ferè superficie corporis patulorum orificia ad sanguinem deferri. Si jam putridum quæcunque putrescibilia in eundem statum celeriter disponat, seseque latius propaget: Iterùmque attendamus, animalia in corruptionem putredinosam sponte suà vergere (à §. 68. ad 73.) Necessum est, humores putridos, alcalinos, volatiles, dissolutos & ad nutritionem ineptos reddi: Solida verò stimulari, excitari ad fortiorem in contenta actionem. En rationem caloris mordacis, febrium ardentium, inflammationum, partium mininarum destructionis, ipsiusque mortis.

§. LXXIX.

Certum secundò est, aërem cum cibo potùque non paucum deglutiri. Si ergo infectus sic aër ventriculum ingressus fuerit, more salium alcalinorum sitim producet inexplebilem appetitum prosternet, ructus nidorosos, putridos, cardialgiam, vomitum, dolores iliacos similésque excitabit. Ubi verò ventriculo elapsa ad intestina, per hæc
ad

ad vasa lactea, indèque ad sanguinem hæc effluvia deferuntur; Producent simillima iis, quæ §o. 78. recensuimus.

§. LXXX.

Si demum tertio respirationis actione à pulmonibus cum aëre fuerint excepta; pro corruptionis gradu vario varia inferent: dispnoeam, phthisin, syncopen, suffocationem, mortem. Videatur hæc iterum Ramazin. de morbis artif.

§. LXXXI.

Atque ex his fundamentum habemus morborum epidemico-
rum, putridorum, malignorum. Quòd enim nasci hi soleant ex aë-
re, ejusmodi inquinamenti foeto, patet consideranti, morbos
hos post infectionem aëris per cadavera in magnis præliis diu
insepulta relicta, vel etiam post insectorum putrefactionem &
frequeniores esse & atrociores. Ultimum præ primis lugent lo-
corum paludosorum accolæ, ubi quippe major ejusmodi inse-
ctorum copia: quin etiam ex hac morbos epidemicos pestem-
que futuram prædicere non dubitavit Joh. Damascenus: Ubi-
vis gentium scribit aphor. 132. quocunque anni tempore pha-
langes muscarum redundaverint; ibidem & ægri tudines, quæ
ex putredine oriuntur, in corporibus indigenarum redunda-
bunt: Et annos insalubres fore, ait Verulamius, & pestis su-
spicione infamari, quando ranarum, muscarum & locustarum
multitudo est: Affirmatque Hildanus, eo tempore, quo pestis
grassabatur, talem fuisse muscarum copiam, ut post homi-
num memoriam vix tanta fuerit: Riverius tandem asserit, post
innumerabilem insectorum copiam febrem epidemicam mali-
moris grassatam fuisse.

E

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Ex superioribus jam constat, putrefactioni præprijis favere calorem, humiditatem, quietem à ventis: Quod si hæc accesserint ad causas §o. 81. descriptas; Exacerbabilia hæc necesse est: Hinc æstivis mensibus, in regionibus calidioribus in plurimum hominum vitam grassatur pestis, ac alio tempore aliisque locis: Hinc tempestates humidæ insalubres semper habitæ sunt, & morborum epidemicorum, ipsiusque pestis feraciores. Hinc autumnali tempore variolæ mali moris grassantur, quæ originem agnoscunt nullam, nisi aërem contagiosum, præcipuè stagnantibus tum temporis aquis, putrescentibus, putridosque vapores in atmosphæram transmittentibus infectum. Hinc demum febres tertianæ epidemicæ, morbi contagiosi pestilentiales grassati fuisse observati sunt à nimia humiditate & aquarum inundatione. *Vid. Petr. Salium de pestilentiali febre cap. 20.*

§. LXXXIII.

Quisquis jam cogitavit ea, quæ à §o. 21. ad hunc usque adnotavimus, quisquis venenorum diversas species, diversos, quos habent, operandi modos consideraverit; Haud ægrè intelliget, quantum fallaciæ universalia, quæ nonnulli jactatores vano promittunt hiatu, antidota habeant.

§. LXXXIV.

Singularis enim cum sit, quæ agit, causa; Singularia etiam oportet esse, quæ huic opponantur, Medicamenta. Singulares hæc causæ adeò inter se cum ratione sui, tum ratione suorum, quos producant, effectuum, uti vidimus ex su-

perioribus, possunt differre, ut arduum, atque ad eò impossibile & ridiculum sit, uno omnes ariete velle expugnare.

§. LXXXV.

Universalis tamen antidoti adversus venena quæcunque prærogativam videntur mereri diluentia, oleosa: Cujuscunque enim indolis & naturæ sit venenum; diluentia illud dividet, diluent, iners reddent, enervabunt. Pari ratione etiam oleosa. Hæc enim particulas veneni inviscabunt, involvent, sicque solidorum parietes ab inimico toxico defendent, ad quamcunque demum classem illud sit referendum.

§. LXXXVI.

In antidotis verum est illud, venenum veneno esse tollendum: Quàm enim potens est toxicum, tam quoque potens esse oportet anti-toxicum: quod ipsum, si ingereretur in corpus animale solitariè, nullo prævio veneno, scorsim haberet rationem veneni. *Pulchro rem confirmat exemplo Clariss. Hallerus in suis Comment. in institutiones Boërhar. §. 1126. ubi hæc habentur: Homo deglutivit Mercurii sublimati unciam unam, vel spiritum vitrioli: Scio mala ab acido concentratissimo oritura. Continuò dissolvam in pintâ aquæ, Olei Tartari uncias duas, & propinabo omnem. Itâ alcali meum ex sublimato Mercurio faciet non sublimatum, sed præcipitatum, flavum, innoxium. Nisi priùs Mercurium Sublimatum assumpsisset, periisset homo ab eâ dosi Olei Tartari, quæ gangrænam in ventriculo fecisset; Nunc, cum assumpserit, peribit, nisi idem biberit.*

§. LXXXVII.

In exhibendis autem antidotis specialiter attendendum est, ubinam loci, an in ventriculo etiamnum hæreat labes, an verò jam per pylorum elapsa in intestinis hospitetur. Si prius, quod docebunt conatus vomendi, cardialgiæ, & alia ejus generis Symptomata; Juvat Saburram dato vomitorio excutere. Ipsum autem hoc vomitorium non sit acre, non stimulans, non erodens, cum sic inductam ventriculi tunicis inflammationem auget; Sed sit lene, aqueum, oleosum, blandum quale suppeditabit selectus materiæ Medicæ.

§. LXXXVIII.

Si verò ad intestina jam transgressum sit malum, quod tormina, regio loci affecti indicabunt; Certi nihil in genere licet determinare, antequàm fuerit perspectum, ad quamnam venenum ingestum classẽ pertineat.

§. LXXXIX.

Si agat, prouti §. 21. 22. 26. fuit explicatum; Scopus Medici esse debet, ut *Primò* partes nostræ sic disponantur, ut minùs affici ab inimico possint: *Secundò*, ut veneni efficacia infringatur: *Tertiò* ut corrigatur.

§. XC.

Primo & secundo Scopo Satisfaciunt diluentia, oleosa; Hæc enim imprimis fibras nostras emolliunt, defendunt, lubricas servant, ut minùs faciles sint in contractiones spasmodicas. Ipsius etiam veneni vim enervant; Quæ enim notatis §is de-

scripsimus venena, Salibus potissimum, ceu spiculis & lanceolis, quæ solidas corporis nostri partes, quas attingunt, vellicant, notata sunt agere. Jam verò oleosa medicamenta involvunt, enervant hæc spicula: Diluentia verò solvunt, dividunt, attenuant, minùs concentrata, adeóque minùs activa reddunt hæc salia.

§. XCI.

Tertium verò Scopum auspiciatâ attinges curatione, si cogitaveris, salia hæc acria manifestò pertinere vel ad acrimoniam alcalinam, vel acidam vel aliam: adeóque salem hunc nocivum cum ptopinato oppositi generis sale transire posse in tetti salis, minùs acris, sed blandi speciem. Quod fieri quotidie posse demonstrat Chemia: Exemplum vidimus ad finem §i. 86.

§. XCII.

Fulmen si læserit, non tamen occiderit animal; videndum priùs, ad quemnam numerum §i. 28. pertineant, quæ fulmen tulit, effecta. Aptis tum remediis, si adhuc superest spes ulla salutis, occurrere facilè poterit Therapevta.

§. XCIII.

Liquida si à veneno affici visa fuerint; Ea vel resolvi, vel coagulari §vo. 31. demonstratum dedimus: Primum quod attinget, fuerunt quidam Medici in illâ opinione, ac si tunc foret omnium perfectissima corporis conditio, quando omnia liquida nostra essent tenuissima: hincque per omnes canales expeditissima esset via (*Vide Gerard. van Suieten comment. in apho-*

ris. de cognos. & cur. morbis §. 43.) Sed quænam naturalis humorum debeat esse conditio, assignavimus suprâ §vo. 30. Hinc si venenolâ assumpto resolvantur nimium, oportet liquida densare, debitam iis viscositatem, cohæsiionem, lentorem inducere,

§. XCIV.

Si verò à venenis coagulantur liquida, illis vel quidquam accedere vel decedere vidimus; Has verò admixtas, quæ sanguini accedunt, particulas vel viscidas & bibulas, uti §vo. 36. dictum, vel quodammodo præcipitantes (§. 37.) agnovimus: Requiritur tunc, ut coagulantes massulas has eliminemus, (*) resolvamus, incidamus, disjungamus: Quod iterum præstabit diluentia, majorem cohæsiionem imminuentia, attenuantia, & reliqua. Si verò decesserit quidpiam, refocillentur illa talibus, qualia fuerunt ablata: Atque hîc loci consulendi *Aphoris, Boerhav. de cognos. & cur. morbis in curatione morborum orinndorum ab excessu motûs circulatorii solo.*

§. XCV.

Non jam erit arduum, contra venena, quæ & solida & fluida simul affecerint, antidotum exhibere. Solidis enim & liquidis læsis singulis singula opponimus pharmaca; Prout quæque vel hunc vel illum passa fuerint effectum. Quidque agendum, ex præcedentibus facile patebit.

§. XCVI.

Sic in frigore, quod exempli loco adduximus §vo. 45. præter ablationem causæ, spiculorum putà glacialium, conveniunt.

*. *Vid. Van. Suijen §. 136.*

veniunt optimè ea, quæ strictas partes relaxant; sed de his in genere jam superius: Inde verò indicantur & ea, quæ liquidis à frigore inspissatis fluorem debitum restituant.

§. XCVII.

Ubi verò ad solidorum læsionem accesserit liquidorum nostrorum resolutio: Sua iterum solidis, sua liquidis destinamus Pharmaca: Quæ convenient solidis, annotavimus superius, quæ verò liquidis docuit §. 93.

§. XCVIII.

Narcotica ut infringamus, corrigamus, duo, oportet, præstemus: Vidimus nempe (§. 44.) per ea stuporem induci, eaque propter in partibus solidis contractilitatem imminui, fluidum verò nerveum quasi figi & ligari: Hinc & duo requiruntur: sua *primum* partibus firmis contractilitas, *secundò* sua fluido nerveo crasis restituenda. Utrisque in genere medebimur malum è ventriculo per vomitorium excutiendo.

§. XCIX.

Venenati animalium succi per morsum vel puncturam communicati indicant suæ ablationem. Assequeris id optimè per diaphoretica, quibus ad superficiem determinetur & foras proscribatur malum: 2dò per imminutam in loco vulnerato resistantiam. Unde fit, ut cum liquidis, quibus cum fluit venenum, feratur ad loca minùs resistantia. Unicum hoc erat, quod præstiterunt hac in re suctu suo Marsi & Phylli, qui speciali prærogativâ adversus venena pollere credebantur: sed, ut dixi, nihil agebant, nisi ut suctu suo attraherent venenum,

nenum, minúsque resistere facerent, locum vulneratum: Etsi turpis lucri causa ceremoniis superstitionem olentibus rem velarent.

§. C.

Nos resistantiam minuimus hodie per cucurbitas magnas, forti cum igne applicatas: Minuimus per emollientia debite applicata. Atque etiam minuendo in omni superficie resistantiam eliminanda sunt míasmata venenata, contagiosa, dum sic disponimus animale corpus, ut per diaphoresin expelli malum possit: Felix successus hujus methodi probatur ex eo, quòd grassante quondam peste vix nisi vulnere aut lue Venerea affecti evaserint, quod inde factum creditur, quòd per hæc loca minús resistantia foras educta fuerit morbifica materies.

§. CI.


Vaporum venenatorum, nisi momento citius necaverint animal, effectus corrigimus, removendo animal ex atmosphæra illâ his infectâ: Deinde verò cum agere visa fuerint potissimum, per admixtas, quas secum vehunt, particulas sulphureas, acidas, pulmonum præcipuè fibras constringendo; Proderunt hîc loci ea omnia, quæ partes firmas strictiores emolliunt, relaxant: de quibus supra,

§. CII.

Putridis verò, alcalinis effluviis si inquinatus est aër, oportet effectus ejus corrigere: Cum verò hi speciales semper morbos prognerent, v. g. febres epidemicas, ardentes, putridas, pestilenciales, specialiora poterunt videri in horum morbo-

morborum curatione: Atque iterum præservandi scopo sic disponendum est corpus, ut grassante hac lue minùs validè possit affici. Sic grassantibus variolis possumus infantes præviè sic disponere, ut à malo afficiantur postea mitiùs. Ipsa demum aëris hæc conditio est corrigenda, ad quod præstant diversi diversis in regnis apparatus.


F I N I S.



C O R O L L A R I A.

1. **N**on est una eadèmq̃ actionum vitalium, animalium & naturalium ratio. 2. Differt ea, sicuti differunt pro diversitate ætatis, sexùs, temperamenti, vitæ generis &c. solida & fluida. 3. Sic solida pro differenti ætate, sexu, temperamento, vitæ genere &c. sunt vel laxiora, vel strictiora & elastica magis, & resistentia. 4. Sic liquida sunt vel densiora, vel tenuiora, mobilia, lentiora. 5. Inde diversitas temperamentorum & actionum ferè omnium animalis corporis est determinanda. 6. Sanguis optimo jure humor vitalis appellatur, ex quo secreti humores omnes nascuntur, in quo continentur reliqui animalis corporis ad unum omnes materialiter. 7. Ratio diversorum ex sanguine secretorum humorum ex machinæ animalis fabricâ & diversâ viscerum & partium animalis corporis structurâ pendenda. 8. Inde & differentes actiones naturales & vitales repetendæ. 9. Neque movetur sanguis ad sensam solummodo homogeneus, ejùsq̃ particulæ diversæ etiam unâ communi vi cordis motæ, unâ eadèmq̃ velocitate, constantiâ & directione. 10. Sed aliæ velociùs, aliæ minùs velociter. 11. Aliæ impetum à corde receptum diutissimè retinent, aliæ eum citiùs perdunt. 12. Aliæ directionis lineam tenacissimè retinent,

nent, cum contrà aliæ ab eâ mox recedant. 13. *Æternæ interim ve-*
ritatis est, quòd corpus motum lineam brevissimam describat, hoc est,
rectà pergat, nisi aliter determinetur. 14. *Angulum resilienciæ esse*
insilientiæ æqualem limitatæ veritatis est. 15. *Quousque verum sit in*
Sanguine, per vasa conoidea moto, determinandum quæsiti. 16. *Non*
omnis interim cordis impetus impenditur propellendo sanguini. 17.
Pars quippe ejus arteriarum dilatationi, pars propulsioni sanguinis sub-
servit. 18. *Consequenter duplex est motus humorum per & ad vasa.*
19. Unus axi paralelus, alter lateribus perpendicularis. 20. *Ex*
quo & motum humorum per conoideum truncum & trunci ~~Diastolen~~ &
declinationem humorum in ramos sive vasa lateralia determinare licet.
21. His præmissis affirmare certo licet, quod omne, quod in corpore
vivi animalis sub ratione pharmaci vel veneni adhibetur, sed differen-
tem pro differenti ratione ætatis, sexus, temperamenti & vitæ generis.
22. Effectus horum non est nisi pristini status, seu pristinæ conditionis
partium, quæ actionem pharmaci seu veneni sustinent, quoad motum, mix-
tionem, consistentiam, situm, cohæsiõnem, connexionem etc. mutatio.
23. Hanc per contactum vel mediatum, vel immediatum accedente mo-
tu eorundem producit. 24. *Hinc pharmacum seu venenum movens*
pariter esse potest & commotum. 25. *Ubi causa motus cum vi motrice*
consideranda. 26. *Ubi motus ipse pharmaci seu veneni quoad modum*
& vehementiam spectandus. 27. *Ubi actio animalis corporis cum ef-*
fectu contemplanda. 28. *Motus enim gradu differens utrius ejusdem-*
que pharmaci seu veneni vel diversæ & inequali materiæ commotæ quan-
titati, vel diversæ & inæquali motrici vi adjudicandus. 29. *Inde est,*
quod Bærbavius affirmet pharmaca pleraque effectus suos mechanice pro-
ducere. 30. *Cum eos à soliditate, mole, figurâ, motu particularum*
variè figuratarum derivet ferè omnes 31. *Neque negligere licet ad*
pharmaci seu veneni effectus definiendos materiæ quantitatem
ex magnitudine & soliditate & inde pendente gravita-
te specifica determinandam.



*

*

*

Freund ! werde doch kein Mediciner ,
Der vor der Zeit und ohne Noth ,
Als wie Purgantius , der allgemeine Diener ,
Mit seinen wunderbaren Pillen ,
Die Krufft und Beutel mercklich füllen ,
Dem Körper sein Verderben droht ;
Und wann er dann recht seine Kunst beweist ,
So macht ein Vorurtheil den Krancken nur gedultig ,
Bis sich die muntre Seel vom schwachen Körper reißt .
Man höret kaum bestürzt den nie gehofften Fall ;
Man forschet gleich ; man fraget überall :
Wer ist an diesem Tode schuldig ?
Purgantius ? O glaubt es nicht ! Ihn schützt ein grosses
Wortgepränge ;

Er spricht : hier war des Himmels Schluß ,
Nach welchem jeder Mensch ganz feste sterben muß ;
Und daß ihn kein Gewissen schreckt ,
So werden seiner Sünden Menge
Im finstern Grabe zugedeckt .

Nein : Freund ! so wirst du nicht curiren ;
Dann wer zuvor durch fleißiges Studiren
Mit kluger Hand
Den Körper oft zerlegt , und seinen Bau erkennt ;


Wer



Wer Haut und Knochen, Puls und Sennen,
Und allen unvermerckten Gift,
Der ihre Trennung würcklich stift,
Genau erforscht; aus den Metallen Geister brennen,
Nach einer Wissenschaft der Grösse und der Kräfte
Den Umlauff des Geblüts, und aller Kräuter Säfte
Geschickt und gut bestimmen kan,
Der nimmt wie Du mit Ruhm die **Doctor-Würde** an.

Hierdurch wolte zu Annehmung der **DOCTOR-**
Würde seine schuldigste Glückwünschung dem Herrn
Respondent:en zu erkennen geben

Israel Walther/
D. G. G. L.



Mein Freund! da Dein gelährter Fleiß
Sich heut auf jene Bühne waget,
Wovon der Wissenschaften Preis
Was niedrig ist und heist verjaget:
So seh ich **Meditrinens Glanz**,
Die den verdienten **Lorbeer-Cranz**
Dir um die kluge Schlaffe ziehet;
Und trifft mein Wunsch und Hoffen ein:
So wird Dein Glück beständig seyn
Und unbeweglich blühen, so wie Dein Wissen blühet.

Hierdurch wolte dem Hoch-Edlen und Hochgelährten
Herrn **DOCTORANDO** sich zum behärtlich
geneigten Aindere:en empfehlen

Philpp Cäsar Hermanni.
D. G. G. G. B.
Von Lengfeld aus der Pfaltz.